

appellari hominis et dare animam suam redemptionem pro multis, quando formam servi accepit, ut pro mundo sanguinem funderet. Et non dixit, dare animam suam redemptionem pro omnibus, sed pro multis, id est, pro his qui credere voluerint. » Item Hieronymus edisserens illud psalmi (XLIII) : *Vendidisti populum tuum sine pretio* : « Usque nunc, inquit, de se locuti 273 sunt martyres, nunc de Judæorum populo dicunt, quibus dictum est : *In peccatis vestris venditi estis* ; et ideo *sine pretio*, quia non est effusus Agni sanguis pro eis. »

Sanctus Gregorius papa in Moralibus (*Lib. iv, c. 41*), exponens locum illum, *non computetur in diebus anni* (*Job XIII*), eundem sensum asserit his verbis. « Annum prædicationem supernæ gratiæ non inconvenienter accipimus : quia sicut in anno congestis diebus tempus perficitur, ita in superna gratia virtutum multiplex vita completur. Potest per annum etiam multitudo intelligi redemptorum : quia sicut ex dierum multitudine annus ducitur, ita ex collectione honorum omnium illa electorum innumerabilis universitas expletur. »

Nec mirandum duo clarissima lumina doctorum, beatum Augustinum et Hieronymum, et post illos Gregorium et Bedam, in hoc sensu inveniri, cum eorum doctrina ex evangelica pendeat auctoritate. In qua quidem apud (a) Matthæum sic invenitur : *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth. xxvi*). Apud Marcum autem : *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis fundetur* (*Marc. xiv*). Apud Lucam vero : *Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Unde concordantes Lucæ, cum rem divinam agimus, in prece, hic est calix sanguinis mei Novi et æterni Testamenti mysterium fidei qui pro vobis, concinentes autem Matthæo et Marco addimus, *pro multis effundetur in remissionem pec-*

A *catorum.* (b) Joannes tamen Constantinopolitanus episcopus explanans locum illum Epistolæ ad Hebræos (*Hebr. II*), qualiter gratia Dei pro 274 omnibus gustaverit mortem : « Non pro fidelibus tantum, inquit, sed pro mundo universo, et ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si non omnes credunt? Ille quod suum erat implevit. » Verum hanc intelligentiam divinis non roboravit eloquiis. (c) Faustus etiam quidam, ex abbate Lerinensi Regensis Galliæ episcopus, de his rebus, hoc est de prædestinatione et libero arbitrio et sanguinis Christi redemptione, longe diversa superioribus præcellentissimis auctoribus scripsit. Sed intelligentius inspecta divinorum eloquiorum integritas errandi occasionem penitus abstulit, et reverentissimus papa Gelasius cum septuaginta episcopis viris eruditissimis statuens qui scriptores essent vel non essent recipiendi, post approbationem Augustini et amplissimas laudes Hieronymi, memoratum Faustum ab auctoritate his verbis removit : *Opuscula Fausti Regensis Galli apocrypha*. Nos igitur incorruptum sanctarum Scripturarum sequentes intellectum, et (d) apostolicæ sedis gravitatem suscipientes, quid aliud dicamus nisi : Taceat Faustus et similiter sentientes ; loquantur cum suis consortibus Hieronymus et Augustinus. Scilicet illius proverbii recordantes : *Conticescant ranæ dum cælum tonat*. Atque ut hunc nostrum laborem fructuosum cæteris relinquamus illud semper memoria tenendum de reprobis monemus : *Qui elongant se a te, peribunt* ; de electis vero : *In omni gente qui timet Deum, et facit voluntatem ejus, acceptus est illi*. Et ut ab illis Dei gratia separati, istis eadem Dei gratia sociemur, assiduis precibus communiter implorandum. Nam qui parvulis regeneratis, moxque vita excedentibus, ineffabili pietate beatitudinem largitur, etiam eorum salutem benigne prospexit quibus perfecte in se sperare donavit.

(a) Apud Matthæum. Hæc trium evangelistarum loca refert etiam in epistola 127.

(b) Joannes Cp. Cognomento Chrysostomus. Eundem porro locum laudat Lupus in epistola 128, et in libro de tribus Quæstionibus, pag. 244.

(c) Faustus. Vide notas ad epistolam 112.

(d) Apostolicæ sedis. Id est, Romanæ. Quamvis enim omnes sedes episcopales dicerentur olim apostolicæ,

Romana tamen speciali quodam modo dicta est apostolica, quod illam Petrus et Paulus, apostolorum videlicet principes, constituerint, et apud Roman Christi martyrio fuerint consecrati, ut diximus ad Vincentium Lirinensem. Quanta autem olim esset apostolicarum sedium dignitas et auctoritas pluribus, Deo dante, dicemus Ad Agobardum. (*Vide Patrol. tom. CIV.*)

275 a VITA SANCTI MAXIMINI

EPISCOPI TREVIRENSIS

AUCTORE SANCTO LUPO

Lupus Waldoni suo salutem
Amicos honestis certare officiis, seque invicem

(a) Hanc Sancti Maximini, Trevirensis episcopi, vitam primus omnium edidit Surius. Assentior autem eruditissimo viro Joanni Gerardo Vossio, qui

D velle sinceris prævenire obsequiis, inter præcipua humanæ vitæ negotia non immerito deputatur. Quip-

Lupum abbatem Ferrariensem Vitæ istius auctorem esse putat. Valdonom autem, cui eam inscribit Lupus, haud alium esse reor quam Valdonom abba-

pe nostra imbecillitas, mutuis freta subsidiis, co-
operante divina gratia, nec lætis inaniter extollitur;
et par effecta tristibus, ab eis haudquaquam facile
superatur. Hujus tantæ rei subtilis consideratio me
tibi, Waldo charissime, suasit morigerari, et quod
jam inde ab initio nostræ cognitionis magnopere fla-
gitasti ne tibi negarem effecit, scilicet ut Vitam beati
Maximini meo stylo elucubrarem, et res quæ ad nos
usque qualibuscunque litteris decurrerunt, accura-
tiori sermone convenienti restituerem dignitati. Huc
accessit quod memoratum virum clementi apud
Deum intercessione mihi plurimum confido profu-
turum, si ejus actus quanta possum diligentia cele-
brans, proponam nescientibus imitandos. Verum in
hoc opere illud me admodum coarctat quod multis
quæ dum adhuc viveret **276** egit, ut palam est, si-
lento suppressis, vix parva gestorum illius moni-
menta exstant, et in his ipsis quædam (a) fabulosis
inveniuntur similia. Quo fit ut amplissimi viri opi-

tem in Germania, cujus mentio exstat in Annalibus
Fuldensibus ad annum 861. Probabile enim est eum
Lupo notum fuisse, quo tempore is studiorum causa
degebat in Germania.

(a) *Fabulosis*. Ergo jam tum constabat sanctorum
Acta multis ac prodigiosis fabulis esse conspurcata,
semperque in hoc orbe fuisse nonnullos quibus nihil
placere potest absque portentis fabularum. Atque id
ex eo factum est, quod existimarent inepti homines
eam esse unicam sanctitatis notam, si quis miracula
omnem fidem superantia patravisse ostenderetur;
cum econtra Agobardus notet imperiti popelli opi-
nionem; qui ex miraculis tantum æstimat vitam sa-
cerdotum, eumque justum non esse credit cujus pre-
ces pro publicis commodis effusæ non fuerint exau-
ditæ a Deo, cum potius id populi ipsius pravis mori-
bus et gravibus in Deum offensionibus veniat impu-
tandum. Nam si miracula attendimus, « etiam Judæ
ficto discipulo, et vero proditori, magnam virtutum
gratiam » fuisse collatam adnotat idem Agobardus,
et « oblata Deo per sacerdotes reprehensibilis vitæ,
ita accepta, ut etiam infirmitates corporum curarent;
qui fortasse cum aliis reprobis dicturi sunt Deo :
*Domine, Domine, in nomine tuo darmonia ejecimus, et
virtutes multas fecimus.* » Tum de Cræso rege, Vespasiano
et Adriano imperatoribus, aliisque multis mi-
nime Christianis prodigia quædam narrantur, velut
evenerint. Et ne ipsis quidem hæreticis negatam
fuisse miraculorum gratiam testantur eorum histo-
riæ, si vera est fides. Itaque ex eo quod quidam in
nomine Domini corporum infirmitates curaverint ac
miraculis inclaruerint, non statim sequitur viros
esse sanctos, nisi cætera sint paria. Certe olim mi-
racula data sunt ad tempus incredulis. Postea vero
confirmata Christi fide ad omnes ubique gentes, mi-
racula passim ad quamlibet occasionem patrari opus
non fuit, præsertim prodigiosa illa et anilia quibus
pleni sunt libri quorundam scriptorum sequioris
ætatis. Vitandas porro esse historico sano fictas illas
narrationes censebat Lupus; neque tamen vitavit.
Tot enim fabulas insignes huic libro addidit, ut mi-
rum valde sit virum eruditum in tam manifestos
scopulos impegisse. Nisi sit, ut conquirere fabulosa
et fictis oblectare legentium animos procul gravitate
historici crediderit, ita vulgatis traditisque demere
fidem ausus non est, exemplo Taciti. Ego sic existi-
mo, sanctos esse in cælo et illic regnare cum Deo.
Sed profecto multa in quibusdam historiis scripta
sunt de quorum fide merito plurimum dubitatur
apud homines eruditos. Quapropter maximam lau-
dem mereri mihi videntur ii qui germana sanctorum
Acta edunt, nullis fabulorum deliriis commaculata.

A natissimæ majestati angusta scribendi materia pa-
rum respondere videatur. Omissis itaque his quæ
fidem cæteris poterant derogare, non ingenii mei,
verum divinæ gratiæ, fiducia, digna duntaxat me-
moratu hinc narrare aggrediar.

CAPUT PRIMUM.

Maximinus, urbis Aquitanicæ (b) Pictavorum indi-
gena, (c) clarissimis est ortus natalibus. Siquidem
antiquam prosapiam, a majoribus (d) senatorii ordi-
nis deductam, ejus parentes sortiti, Maxentium atque
hunc Maximinum felici auspicio procrearunt : qui
nobiliter educati, sacris pariter litteris instruebantur,
futuri quandoque Christiani dogmatis egregii
defensores. Sed processu temporis Pictavorum Ec-
clesia Maxentium sibi vindicavit pontificem; eamque
idem postea florentissime gubernavit. Maximinus au-
tem, divino instinctu genitale solum relinquens, at-
que in Belgicam Galliam commigrans, in Treverorum

In his enim spirat antiquus Christianismus, purus,
sanctus, innocens, ac Deo magis appropinquans.
Hinc magis excitamur ad veram pietatem quam ex
fictis illis narrationibus. Utinamque exstarent Acta
martyrum quæ se collegisse testatur Eusebius lib. iv,
cap. 15, Historiæ ecclesiasticæ ! Neque tamen hæc
quæ supra dicta sunt ita accipi velim ac si miracu-
lis detraherem, iis nimirum quæ a probatissimis
auctoribus referuntur; absit enim; sed ut quorum-
dam stultitiam notarem, quibus prodigiosa illa por-
tenta magis placent quam aperta et simplicia sancti-
tatis argumenta. Neque negaverim etiam in fine
temporum patrari miracula ad preces sanctorum.
Vivit enim adhuc Christus, et inter nos est, tametsi
vultum suum subtraxerit visibus hominum. Promi-
sit enim futurum se nobiscum usque ad consum-
mationem sæculi.

(b) *Pictavorum indigena*. Dicere videtur Lupus Ma-
ximum ex ipsa Pictavorum urbe fuisse ortum. At-
tamen vir illustrissimus Henricus Ludovicus Casta-
næus de la Rocheposay, episcopus Pictaviensis, ad-
monet eum non in ipsa urbe, sed in vico Sigiliaco
ortum esse. Hæc sunt ejus verba in notis ad Litanias
Pictonicas : « Obtinet tamen annosa apud populares
nostros fama, Maximinum Sigiliaci in conspectu
Lodunensis urbis natum esse; quod Lupum, virum
fortasse exoticum, latuit; ideoque primariæ regionis
civitate sancti hujusce præsulis cunabula ascripsit.
Sigiliacum autem vulgo *Sillé*, seu *Monthersillé*, dici-
tur; ubi parochialis ecclesia sancti Maximini titulo
nobilitatur. »

(c) *Clariss. natalibus*. Vulgatus est hic scriptorum
affectus; qui sanctis quorum vitam describunt no-
bilissimos semper natales assignant; sic haud du-
bie existimantes pulchriorem esse virtutem quæ
cum nobilitate generis conjuncta est. Et tamen, ut
ait Paulinus in epistola ad Selantiam : « Nescit re-
ligio nostras personas accipere, nec condiciones ho-
minum, sed animos inspicit singulorum. Servum et
nobilem de moribus pronuntiat. Summa apud Deum
est hobilitas clarum esse virtutibus. » Miror vero
neminem hactenus fuisse repertum qui sanctum
Petrum proderet ex nobili et antiqua familia ortum.
Magnificum enim videri poterat, si magna nobilitas
in eo ostendertur qui sedem suam locaverat in urbe
gentium domina.

(d) *Senatorii ordinis*. Erant enim in Gallia, præci-
pueque in Aquitania, nobilissimæ quædam familiæ,
quæ cum a senatoribus Romanis originem haud
dubie ducerent, senatoriæ dicebantur. In universum
autem æstimanti, affirmare licet illustres familias
his vocabulis intelligi.

urbe substitit, et spectati præsulis (a) Agritii magisterio se informandum submitit; in quo tanta ubertas gratiæ spiritualis eminebat, ut (b) apicem dignitatis titulo sanctitatis ornaret: cujus rei fama cum et alios diversis ex partibus, tum etiam hunc Maximinum accierat. Ergo ad notitiam tanti viri deductus, et ecclesiasticis moribus aliquandiu diligenter assuefactus, clericatus honore donatus est. Cumque augmenta virtutum illi pararent incrementa consequentium dignitatum, 277 Quiriacus quidam, mira sanctitate præditus, beati Eucharîi ecclesiam nocturno tempore oratum de more ingressus, obversantem sibi angelum, non per quietem, sed vigilando intueri promeruit, ejusque vocem corporeis hausit auribus præcipientis ut Maximinum ex divina jussione redderet certior quod, Agritio episcopo ad superna gaudia intromisso, mox esset ipse pastorale ministerium subiturus. Id Quiriacus propere dum complevisset, B. Maximinus huic oneri modis omnibus se impari ferebatur. Ita quem jam secretorum inspector probaverat, fragilitatis propriæ rigidus æstimator de se vilia sentiebat. (c) Hoc utinam homines nunc et intueri vellent et imitari! Profecto nunquam ecclesiasticos honores, qui (d) sanctis et eruditis tantummodo competunt, corruptelis vitiorum obnoxii,

(a) *Agritii*. Trevirorum episcopi, qui concilio Arelatensi interfuit anno 814.

(b) *Apicem dignitatis*. Quia nimirum episcopatus est eminentissimæ dignitatis apex, ut ad epistolam 125 dictum est. Præterea Agritius erat metropolitanus, adeoque apicem episcopatus peculiari titulo habebat. Unde in epistola Floriani ad Nicetium Trevirensem archiepiscopum. Nicetius dicitur locatus in vertice pontificali. Et Fortunatus lib. III, cap. 11, eundem Nicetium ob hoc ipsum vocat apicem fidei pontificumque caput; eumque summum pastorem vocans, apostolico ovili præcellere ait; et cap. 13 Magnericum, Nicetii successorem, vocat patrem patrum. Quod autem hic et pagina 453 diximus episcopatus apicem in unoquoque episcopo esse constitutum, nihil præjudicamus adversus primatum Summi Pontificis divinitus institutum. Hic enim peculiari quodam modo tenet apicem pontificatus.

(c) *Hoc utinam*. Parænesis est ad eos qui ætate Lupi ambiebant episcopatum. His proponit exemplum Maximini, qui se impari esse aiebat tanto oneri, insignis est locus Sulpitii Severi mores sui sæculi pariter deplorantis. « Qua tempestate, inquit Severus in libro secundo Sacræ Historiæ, omnis fere sacro martyrum cruore orbis infectus est. Quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur; multoque avidus tum martyria gloriosis mortibus querebantur, quam nunc episcopatus pravis ambitionibus appetuntur. » Sanctus papa Gregorius in libro I de Cura pastorali, cap. 8: « Tunc ergo laudabile fuit episcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire. » Infra: « Ipse ergo sibi testis est, quia episcopatum non appetit, qui non per hunc, bonis operis ministerium, sed honoris gloriam quærît. » Ætas Lupi addiderat avaritiam ambitioni. Ea enim fuit Lupinorum temporum calamitas, ut sacerdotia passim pretio constarent, illeque cæteris vulgo præferretur, cui major pecunia erat in numerato, non qui majoribus studiis juvabatur et meritis. Vide Alcuinum in Confessione fidei, lib. III, cap. 36, et Joannem Saresberiensem, lib. VII Policratici, cap. 20.

A oraculorumque cælestium nescii, pecunia mercatum irent, humerisque suis velut gravem seque oppressuram sarcinam nolentes ac reclamantes nequaquam prorsus imponent. Verum ut ab his quo paululum deflexit nostra revocetur oratio, quod semel beatum Maximinum divinitatis immutabile consilium populo suo præficiendum decreverat. Agritio per ministerium revelatur angelicum, ut sibi eum (e) instituat successorem. Qui absque retractatione divino parens imperio, suis benedictionibus confirmatum, post se futurum designat pontificem. Nec multo post Agritius quidem momentaneam mortem sempiternæ vitæ felicitate mutavit, et in confessorum cætum gloriosissimum commigravit, Idibus Januarii.

CAPUT II.

B Sanctus autem Maximinus cum consensu sacrorum 278 ordinum totiusque plebis adnitu a vicinis episcopis pontificali est excellentia sublimatus. Jam vero quam strenue sit eo functus officio summi auctoris Hieronymi testimonio, qui aut contemporaneus ei, tametsi puer, fuit, aut proxime illius ætatem accessit, licet agnoscere. Namque his in præclare Chronicæ opere, cum a secundo anno Constantini, Constantii atque Constantis Augustorum, Arianam impietatem

(d) *Sanctis et eruditis*. Quia nimirum oportet ut ii qui populum Christianum susceperunt pascendum sancti sint et docti, ut ex exemplo suo eum instruant et prædicatione. Vide notas ad epistolam 97.

(e) *Instituat successorem*. Falsa est ista narratio, et miror Lupum id ex fabula retinere voluisse. Nisi si vir morum sui sæculi peritissimus, in antiqua historia parum versatus erat. Olim enim nemini licebat sibi eligere successorem. Concilium Antiochenum can. 23: « Episcopo non licere pro se alterum successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ perveniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esse hujusmodi est constitutum. » Exstat tamen exemplum in contrarium apud Eusebium in libro XII Hist. eccles., cap. 22, de Anatolio, quem Theotecnus Cæsareæ Palestinæ episcopus episcopum ordinatum successorem Ecclesiæ suæ despondit, amboque aliquantisper eandem Ecclesiam simul gubernarunt. Recte autem adnotat vir eruditissimus Henricus Valesius, qui longam Eusebio juventutem nuper restituit, hoc esse unum e vetustissimis exemplis coadjutorum, ut nunc vocant, episcoporum: « Qui cum, inquit ab sublevandam episcoporum senectutem instituti primum fuissent, re postea in consuetudinem versa, nulla necessitate id exigente, per gratiam et ambitionem creari cœpere, cui malo, ne longius serperet, remedium attulere Patres concilii Sardicensis. » At Marca in libro de singulari primatu Petri, dum adnotat Petrum et Paulum simul rexisse Ecclesiam Romanam, quamvis non ex æquo, ait eam ante Nicænum concilium fuisse in ecclesia disciplinam ut fas esset duos episcopos uni Ecclesiæ præesse. Longe diversum est istud a narratione Lupi. Neque enim ad Maximinum ordinari jussum ut Agritii senectutem sublevaret, sed ut successor esset defuncti: quod repugnat moribus veterum temporum. « Habet equidem sanctorum Patrum institutio, » inquit in epistola 44 Petrus Blesensis, « ut episcopis infirmis et senibus coadjutor addatur. Nam et Valerio Hipponensi episcopo adjunctus est Augustinus. »

præfati Constantii regis fultam præsidio, persecu-
tam exiliis, carceribus, et variis afflictionum modis
primum Athanasium, deinde omnes non suæ partis
episcopos declarasset, paucis interjectis, sexti anni,
si quæ forte fuissent, res memorabiles notaturus,
Maximinus, inquit, *Treverorum episcopus clarus ha-*
bebatur.

CAPUT III.

Hic si quis inspiciat insaniam Ariani principis tum
quam maxime efferbuisse facile intelligit persecu-
tionibus, quæ vulgo veris importabantur præsulibus,
sanctum quoque Maximinum alacriter participatum,
ac violatæ fidei non declinasse modo contagia, sed
etiam assertorum ejus perversis ac violentis moliti-
onibus obviasse. Nec adeo fuerat operosum eas cele-
riter penitusque subvertere, nisi merito execrabilis
impietatis miserabiliter excæcati illius nefarii sce-
leris vel inventores vel defensores lumen rationis
nequaquam admittere consensissent. Nam quis un-
quam, quæso, de consubstantialitate Patris et Filii
vel per quietem sit ausus dubitare, nisi qui illam
evidentissimam Dei sententiam surda præterierit
aure: *Ego et Pater unum sumus?* (*Joan. x.*) Unum
enim dixit, tantum se profecto volens 270 intelligi
quantus Pater esse cognoscitur. Scilicet mysterium
baptismatis in nomine Patris et suo ac Sancti Spi-
ritus non aliter tradijussisset fidelibus, nisi æque ut
Patri sanctoque Spiritui, sibi quoque voluisset de-
ferri. Verum quis illos ferret non minus stultos quam
impios? Denique cum ipse Filius dicat, *Ut omnes ho-*
norificent Filium sicut honorificant Patrem (*Joan.*
v.), in tantam imperitissimi homines proruperant
audaciam ut minorem Patre Filium esse contende-
rent. Hi callidis argumentorum commentis sua nite-
bantur astruere. Contra per Athanasium, atque
Maximinum cæterosque propugnatores ac duces cla-
rissimos apostolicæ doctrinæ semper superabat au-
ctoritas. Laboriose mendacium exquisitis ornabatur
sententiis. Per se satis decora, simplex veritas emi-
nebat. Postremo potestas humana fortissimis bella-
toribus turbulentum minaxque bellum conflaverat.
Divina majestas animum, vires, arma, quibus illi
vincerent ministrabat.

CAPUT IV.

Ex his quæ præmisimus beati Hieronymi verbis,
etsi pauca sint, tamen satis Maximini sanctitas po-

(a) *Haud dubium quin Maximino.* Familiaris Lupo
loquendi modus, ut diximus ad pag. 223.

(b) *Latebram præstare.* Hic Lupum reprehendit il-
lustrissimus cardinalis Baronius quod existimaverit
tunc ad Treviros accessisse Athanasium cum fuga
lapsus a Constantio imp. Constantini filio expetere-
tur ad pœnas. Jurene, an injuria, eum Baronius re-
darguat, non est mei similium pronuntiare. Illud
tantum monuerim, locum Hieronymi paulo ante
prolatum videri facere pro sententia Lupi. Cæterum
Hilarius validum hinc telum adversus hostes Atha-
nasii sumit quod ei communicio reddita fuerit a
Maximino, utpote qui, præter proprias virtutes, in
excellentissima Trevirorum urbe episcopus erat. Sic
enim ait in fragmentis: « Sed ignorasse vos nega-
bitis Athanasio, cujus damnationem a vobis Valens,

terit æstimari. Sed eis ille non contentus rem intulit
maximis meo judicio laudibus prosequendam. A quo,
inquit, (a) haud dubium quin Maximino, *Athanasius*
Alexandrinæ Ecclesiæ episcopus, cum a Constantio
quæreretur ad pœnam, honorifice susceptus est. O vi-
rum beatissimum, summisque principibus Ecclesiæ
merito cœquandum, qui regis potestatis injustum
spreverit impetum, et cum periculo, si non vitæ,
certe dignitatis, amplexus sit custodiam mandata
divinitus charitatis. Fac enim 280 imperatorem
furiata mente prodicionis præmia proponentem, si
opinari potuisset fore aliquem qui, cum valeret, non
solum Athanasium minime proderet, sed etiam stu-
diose celaret, quas proscriptiones, quæ exilia, quæ
tormenta minaturus fuisset, deprehensoque postmo-
dum illaturus; et liquido apparebit quantum pon-
dus justitiæ tribui debeat huic S. Maximini constan-
tiæ. Profecto fiducia ex divinis eloquiis concepta
docuit quatenus sit sæcularibus potestatibus obse-
quendum. Neque enim ipse Deus justa præcipientes
contemnendi hominibus aut quemquam imperatores
injusta jubentes audiendi potestatem fecit. Nam etsi
præscripsit ut Cæsari quæ sunt Cæsaris et Deo quæ
sunt Dei reddamus (*Matth. xxix.*), quod tamen
id citra violationem suorum fieri voluerit mandato-
rum Apostolus declaravit, qui dicturus *Regem hono-*
rificate, Deum time (*I Petr. ii.*), præmittendum cura-
vit. Sed o nostri temporis mores degeneres! Omnes
pene jam nervi pristini roboris conciderunt. Levibus
terroribus fracta cessit constantia. Pluris pecunia
quam justitia, æstimatur. Quis jam imperatoribus
divinorum præceptorum reserare salutarem severi-
tatem non reformidet? Quis eis sua pericula zelo
divini timoris accensus absque furore adulationis ape-
riat? Ego plane non sum dubius, aut neminem, aut
rarum nunc esse, qui si quemlibet, ut quondam
magnus fecit Athanasius, iniquos motus imperato-
rum fuga declinantem videret, ei, ut Maximinus,
gremium charitatis, Deo fisis, aperiret; imo (b) late-
bram præstare vel remotissimus quisque refugeret;
ne, dum alium tegere moliretur, semetipsum la-
queis calamitatis exponeret. At Maximinus in cele-
berrima 281 eademque tunc (c) regia civitate for-
tissimum excipiens Confessorem, dum ejus ingenue
communicavit periculo, participium sibi peperit
gloriæ sempiternæ.

D Ursacius, Saturninus exigunt, ab Osio, Maximino.
Julio redditam communionem. E diverso Sulpitius
Severus hinc quoque Priscillianum ejusque socios
in culpa fuisse ait quod Damasum episcopum Ro-
manum et Ambrosium Mediolanensem, « quorum
ea lempestate summa auctoritas erat, » sibi adver-
santes habuerint.

(c) *Regia civitate.* Id est Trevirensi, cujus magna
tum dignitas erat ob sedem præfecti prætorio Gal-
liarum illic a Constantini Magno constitutam. Ita-
que Lupus non tam respexit ad ætatem Maximini
quam ad sequentia tempora Trevirim enim regiam
civitatem postea fecit Maximus imperator circa an-
num 383, ut scribit Gregorius Turonensis lib. 1,
Hist., cap. 38.

CAPUT V.

Quanto autem studio pro conservanda integritate fidei excubaret, alias etiam demonstravit, cum (a) Agrippinæ synodali evocato conventu, Euphratam episcopum, hæretica pravitate corruptum, cum his, qui frequentes convenerant, pontificibus gradu movit, ecclesiastica usus censura. Is enim insanis accedens hæreticis, Jesum Christum non esse verum Dei Filium prædicabat. Nec miraculorum gratia defuit sancto Maximino: quibus editis, suæ prædicationis fidem tardioribus faciebat. Siquidem et cæcis lucem infundebat optatam, et paralyticorum solutos artus in pristinum reformabat vigorem, et eos qui dæmonum pervasione humanam mentem exuerant, sædo prorsus dominio liberabat. Quod si cui incredibile videatur, ex his quæ multa ad ejus memoriam hactenus fiunt, poterit confirmari.

CAPUT VI.

Erat ei sollemnis consuetudo sanctorum lustrare memorias eorumque opem summissis precibus flagitare. Cujus rei gratia cum Romam tenderet, opinatissimum confessorem Martinum convenit; junctique (b) summi pontifices, divinis rebus intenti, laborem itineris non ut alii sentiebant. Illis itaque in ulteriora progredientibus, (c) forte asellum, qui sarcinas beatorum ferebat, ursus offendit, eumque protinus devoravit. Hic Maximinus in nomine 282 Domini feræ dicitur imperasse ut quia jumentum non abegerat, sed consumpserat, ipsa jumentionus assumeret. Mira res

(a) *Agrippinæ*. Intelligit concilium Agrippinense, quod habitum volunt anno 346, adversus Euphratam Coloniam illius episcopum Christi divinitatem negantem: quam synodum non haberemus absque Surio. Dubitare porro visus est cardinalis Baronius de concilii istius auctoritate, eo quod anno sequenti Euphratas, quem in ista synodo depositum Acta prodant, interfuisse reperiatur synodo Sardicensi.

(b) *Summi pontifices*. Maximinus nimirum Trevirensis, et Martinus Turonensis. Quid ais, Lupe? Martinum episcopum Romam profectum cum Maximino Trevirensi? Atqui Maximinus multis ante annis vacuam sedem fecerat, quam Martinus ad episcopatum perveniret, et diu antequam idem Martinus apud Hilarium episcopum Pictaviensem esset; quod illi fuit initium claritudinis. Ea tamen fabula scripta reperitur etiam in Vita sancti Mansueti, Leucorum apostoli, quam vir illustrissimus Franciscus Bosquetus, episcopus Monspeliensis, edidit in parte II Historiarum Ecclesiæ Gallicanæ, pag. 35.

(c) *Porte asellum*. Pax, vir eruditissime. Sumptum istud ex poeticis illis fragmentis quibus conspurcatam fuisse ait Historiam sancti Maximini.

(d) *Paulinus*. Hic est celebris ille Paulinus Treviro- rum episcopus, qui, ut in Fragmentis ait Hilarius, « indignus Ecclesia ab episcopis, dignus exilio a rege est judicatus. » Actum id in concilio Arelatensi anno 353, ut ex hoc Hilarii loco constat, itemque ex Sulpitio Severo in libro secundo Sacræ Historiæ. Congregata fuerat isthæc synodus ut pax inter partes, Arianos nimirum et catholicos revocaretur; vel, si id obtineri non potest, hi qui damnationi Athanasii subscribere recusarent, velut quædam catholice fidei contagia pellerentur. Jam enim damnatus fuerat Athanasius in synodo Antiochena, quæ legitima censebatur. Postulabant episcopi Ecclesiæ catholice, « ut prius quam in Athanasium subscri-

A valde est, illam e vestigio successisse oneri, et quoad reversi ad locum qui Ursaria villa dicitur devenirent. subvectioni mansuetissime famulatum, ibi denique a sancto viro pristinam vagandi potestatem, recepisse; prius tamen licentia quemquam lædendi erepta. Verum quia, ut pravi sibimet sunt graves, ita boni suo semper delectantur consortio, sanctus Maximinus beatum Martinum Treverorum urbem secum coegit invisere, suoque populo duplicata benedictionis revexit commercia. Ibi Martinus spirituales sibi filium Lubentium Maximino erudiendum commisit; cujus ille parens voluntati, et eum sacris instituit litteris, et imposito gradu presbyterii, in vico cui Cubrino vocabulum est præfecit. Ipse autem, pie memor propinquorum, patriam repetivit; suorumque usus contubernio, non multo post ibi vita excessit, sanctorumque laborum suorum fructum cumalata mercede a Domino est consecutus.

CAPUT VII.

Succedens in episcopatu (d) Paulinus, qui fidei suæ veritatem exsilii perpeessione firnavit, communicato cum clero et populo Treverorum consilio, sanctum Maximinum ab Aquitania, ubi situs fuerat, revehendum constituit. Itaque facto agmine clerus populusque Aquitaniam versum tendentes, emensis prolixis viarum spatiis, tandem haud longe a loco ubi ille claudebatur thesaurus admodum fatigati substiterunt. Ibi cæteris corpora curantibus, quidam seniorum prostratus humo Domino 283 supplicabat ut

C bere cogentur, de fide potius disceptarent; nec tum demum de re cognoscendum, cum de persona judicium constitisset; » ut scribit Severus. Alioqui enim timendum erat ne doli mali exceptio objiceretur inimicis Athanasii, si adeo pervicaciter urgerent illius damnationem, ut de solo Athanasio agi videretur in hac causa, non autem de doctrina ejus. Quam exceptionem, ne quis eam me comminisci putet, postea nostris ingesserunt Orientales in epistola scripta ad legatos synodi Ariminensis, quæ edita est in Fragmentis Hilarii; in qua sic loquuntur de Aetio hæretico: « Dolus autem hic præparatur, ut Aetius auctor hujus hæresis ipse potius quam hæc impie dicta damnentur, magisque in hominem quam in doctrinam sententia lata esse videatur. » Subdit Severus: « Seu Valens, sociique ejus, prius Athanasii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi. Ab hoc partium conflictu agitur in exilium Paulinus. » Quod non ita intelligendum est ac si judicio synodi Paulinus in exilium actus esset. Revocanda sunt hæc Sulpitii Severi verba ad sententiam verborum Hilarii, ut scilicet intelligamus tum demum Paulinum ab imperatore Constantio pulsum esse, postquam episcoporum judicio damnatus fuerat. Expulso enim a civitate, quæ pœna sæcularis est, pertinet ad principes, non autem ad episcopos. Verum non adeo prompta futura erat exsecutio sententiæ synodalis, nisi principalis auctoritas vim ecclesiasticæ constitutioni addidisset. Consensum enim principis visum fuisse quandoque necessarium ad hoc, ut valida esset depositio episcopi, ostendit exemplum episcopi Augustani. Hunc enim Theodoricus Italiæ rex honori pristino restituit, ita ut *jus haberet episcopatus omne quod habuit*, ut est apud Cassiodorum lib. I Var., epist. 9. Sic Lotharius imp. in causa Ebbonis Rhemensis, apud Flodoardum.

illius exoptabilis loci, quem ipse cum sociis penitus ignoraret, aliquod mereretur indicium. Vix orationis verba finierat, cum puer gregem ovium sequens, nomine beati Maximini (a) jurative assumpto, ovem, si quo ipse nollet, accederet, ictu repellendam minatus est. Hic senior stupefactus, ubinam, quem nominasset, Maximinus requiesceret, percontatur. Atque puer vicissim quisnam esset qui tam clari viri memoriam nesciret admirando perquirens, postquam rescivit aliunde adventantes, eos ad locum desideratum usque perduxit. Ita illi laudantes Deum beatumque Maximinum, etiam angelica revelatione certiores effecti sunt, illic ubi monstratum fuerat, inveniendum quod quærent. Verum custos ecclesiæ, suspicatus id quod evenit, ut eadem ecclesia excederent qui advenerant, et eventum rei celaverant, imperavit. Mox celerrima fama rem dissipante, immanis excitata manus Aquitanorum Treveros moliebatur loco arcere; potuissetque committi (b) facinus pessimum, ut Treveri Christianitatis fraternitatem opponentes orandi tantum studio se convenisse firmassent. Aquitani Treveros sui timore percussos arbitantes, hinc remissi lætitia, vino indulgent; et, quod erat consequens, somno graviori resolvuntur.

CAPUT VIII.

Interea beato Lubentio, cujus mentio facta est superius, imperat angelus ut clavem ecclesiæ ad caput custodis accipiat, et absque strepitu ecclesiam introgressus exoptatum thesaurum asportet. Ille (c) cœtu aliorum presbyterorum adjuncto, 284 summa cum properatione paret; ac prospero comitante successu, clavis unde sumpta fuerat cito refertur, et catervis expectantibus quod tantopere cupiebant infertur. Treveris abitum maturantibus, Aquitani primo eos metu discessisse dictitant. At ubi rei veritatem comperiunt, magno coacto exercitu recedentes triduo insequuntur. Cumque intra mutuum conspectum uterque populus constitisset, Aquitani crebris coruscationibus tonitruisque atque frequenti emissionem fulminum, quorum nihil Treviros contingebat, repulsi, non sine rubore ad propria redire. Treveris cœptum iter carpentibus, cæcus quidam spe recuperandi visus deduci se flagitabat ad feretrum: cujus ut eum umbra tetigit, mox caligo inolitæ cæcitatibus abscessit. Ita unius incolumitate gaudium multi ceperunt.

CAPUT IX.

Cumque (d) Mosomagum castellum pervenissent,

(a) *Jurative*. Id est, jurans per Maximinum. Adeo porro magna est isthæc narratio, ut non arbitrer posse reperiri fabulam lepidiorem.

(b) *Facinus pessimum*. Imitatum istud videtur ex Sallustio in Catilina: «Eo die, post conditam urbem Romam, pessimum facinus patratum foret.» Sic apud Tacitum in libro primo Annalium: «Cum occisus dictator Cæsar, aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videretur.»

(c) *Cœtu aliorum*. Quid ais? Tantam fuisse presbyterorum multitudinem, ut cœtus esset? Faciles videlicet tum erant episcopi, et multos presbyteros ordi-

paralyticus quidam beato Maximino sanandus offertur. Nec irrita vota fuere fidelium. Namque sine dilatione optatæ redditus sanitati speciosissimum spectaculum intuentibus præbuit. Utque gratiam referre viderentur ejus loci habitatores, ecclesiam Deo sub honore beati Maximini, ubi ejus sacræ reliquie fuerant positæ, condiderunt, Evogium vocatur castellum, ad ditionem jam pertinens Treverorum. Hoc ingressis exsequiarum bajulis, quædam femina maligno spiritu obsessa quærebat quid ita Treverorum populus beatum illuc Maximinum deportasset, cum ei possent sufficere sancti Dei Eucharis, Valerius, et Maternus, necnon Agritius, quæ dæmones ut violentos 285 paterentur tortores. Nec diu teterrimus hostis miseræ infelicitate lætatus est. Siquidem post præmissas voces, meritis beati Maximini exire compulsus, ludibrii sui potestate privatus est. Inde ad castellum quod Ardonis dicitur sanctis perlatis reliquiis, duo accedentes leprosi, jam quantum valeret Maximinus felici fama edocti, ejus imploravere credula mente suffragium. Nec spes eos sua fefellit. Denique mox divinam experti medicinam, adepti sunt integram sospitatem.

CAPUT X.

Tot ac tantis divinis celebratis miraculis, Treverorum quondam pontifex Maximinus, tunc autem apud Deum certissimus jam patronus, urbi quam olim rexerat propinquabat. Jam vero vix credibile fuerit, quanta tunc ad eum multitudo confluerit. Obviam præsulī tota se civitas effudit, rusticorum ex agris frequens turba convenit, multi quoque ex vicinis urbibus concurrerunt. Compulerat hæc agmina in unum veneratio Maximini, quæ Paulinus totius signifer pietatis sua gloriosa decorabat præsentia. Cremabantur thymiamata pretiosi odoris, cereorum copia resplendebat; distinctæ sacrarum ordinum acies, festiva cantica personabant. Ita exceptum deductumque sacratissimum Maximinum insignis confessor Paulinus in ecclesia beatissimi Joannis evangelistæ magnificæ sepulturæ tradidit. Huc postea cæcus quidam a nativitate, ex territorio Beneventano deductus, Creton vocabulo, inonitum se a principe apostolorum Petro, dum Romæ spe recuperandi luminis moraretur 286 apud ejus memoriam, fatebatur, ut Belgicam Galliam peteret, ubi sanctus requiesceret Maximinus, quod illius meritis possent ei optatæ sanitatis gaudia provenire. Qui pergens, venit ad locum: et dum custodi narrasset

nabant absolute. Vides, lector, quam fæde contaminata sit hæc historia.

(d) *Mosomacum*. Villam dioceseos Rhemensis ad Mosam fluvium, cujus mentio exstat apud B. Remigium in epistola ad Fulconem episcopum: «Fas ergo fuit, inquit, ut illicitis ordinationibus tuis a te credideris occupandam loci Mosomagensis Ecclesiam, quam Metropolitanī urbis Rhemorum sub ope Christi sua semper ordinatione rexerunt.» Mosomagensis pagi, in quo situm Duziacum, meminit Hincmarus in Vita Remigii. Postea Mosomum dictum est quod olim Mosomagum; ut apud Flodoardum, Gerbertum, et alibi. Vulgo *Mouson*.

ecclesiæ, nomine Gosberto, ad sepulcri penetralia A intromissus, ibi se confestim lucis commercium reperisse miratus est. Poterat beatissimus Petrus cæco summa facilitate quod petebatur præstare, verum gloriam miraculi transferre ad Maximinum maluit, ut meritorum ejus evidenter cunctis panderet qualitatem.

CAPUT XI.

Præterea in crypta ubi ossa venerandi pontificis condita fuerant interjectu temporis aqua in latitudinem unius cubiti excrevit; dictuque mirabile, ita sepulcrum omne suo ambitu cinxit, ut tamen ab ejus crepidine absistens, non parvum intuentibus stuporem injiceret. Igitur venerabiles episcopi (a) Hildulphus, Clemens atque Gosbertus, convenientes in unum, et quod evererat, diligenter examinantes, (b) B transferenda beati viri ossa ex memorata crypta, et in loco ubi nunc sunt sita judicare ponenda. Quod quoniam ex divina voluntate decreverant procedens exitus indicavit. His, ut opinor, non inconvenienter adjicitur quod quædam femina, Franca natione, domique nobilis, Rodoara vocabulo, cui tibiam atque pedem humor noxius arefecerat, ad memoriam beati viri accessit; ibique preces magna cum obstinatione continuans, ita ut a suis ad desperationem obtinendæ sanitatis impulsæ ut inde recederet moneretur, 257 diu desideratam sanitatem stupentibus cunctis recuperavit.

CAPUT XII.

Jam vero illud quam est mirabile quod (c) Carolo principi obtigit? Namque is cum longa febrium C vexaretur molestia, et cibi potusque fastidio vitæ periculum incurrisset, ei beatus Maximinus capienti somnum apparuit, utque se ad suam abeuntem sequeretur memoriam demonstravit. Exspergefactus Carolus satellitem qui sibi forte assidebat percontatur si viderit beatum Maximinum, qui secum paulo ante contulisset sermonem. Illo vero negante, Modo, inquit, foras egreditur, atque imperavit ut se continuo sequeretur, apud ejus tumulum salutis compos futurus. Ita illo lectica deportatum et in soporem resolutum sanctus Maximinus iterum alloquitur, seque pro illo Domini postulasse clementiam ostendit, illum vero ne se ultra dedat vitiis admonet. Mox igitur ut evigilavit Carolus, exsurrexit; et pro votis promissis in sacrarium secessit, sibi que offe- D rendos cibos poposcit; qui triginta diebus proximis,

(a) *Hildulphus*. Sive Hildolfus Trevirorum episcopus, qui sub Pippino rege floruit. Exstat ejus Vita apud Surium tomo IV, ex qua apparet virum fuisse sanctissimum: quod etiam docet Richerius monachus in libro primo Chronici Senoniensis. Ei aliisque nonnullis partium illarum episcopis Stephanus III « commisit vices suas ad experiendum actus, virtutes, et gesta ac miracula sancti Swiberti, ad canonizandum ipsum sanctum, » ut ad Rixfridum episcopum Trajectensem scribit S. Ludgerus episcopus Monasteriensis. Factus est autem Hildulphus Trevirorum archiepiscopus jussu Pippini regis, ut diserte tradit ejus Vitæ scriptor: « Mox fama, inquit, in

sumendorum alimentorum sibi possibilitate sublata, vix vitam solius aquæ haustu retinuerit. Escis itaque sumptis, amissas redire vires persensit; hujusque non immemr beneficii, cænobium sancti Maximini prædiis auxit: quorum unum Patriosala, aliud Witmari ecclesia, tertium Comiciacus vocatur. Sancto autem Petro Andaclanam obtulit villam.

258 CAPUT XIII.

Apud sæpedictam memoriam etiam duæ feminæ, quarum altera Weltrudis, altera dicebatur Elithildis, olim manuum atque pedum debilitate inutiles, interventu gloriosissimi confessoris communia receperunt officia. Vir quidam oriundus Friso, cui nomen Albo fuit, se suamque substantiam beato Maximino donavit. Quo facto, cum fratrum utilitatibus desudaret, necesse fuit ut negotiandi gratia transmarinam peteret regionem. Ita classi sex navium sociatus, ingressus est mare. In altum autem cum processissent, tempestas repente oborta easdem sex naves quassavit, ac undæ tumentes protinus solutas involverunt. Hoc Albo deprehensus necessitatis articulo, nautas hortatus est ut secum sancti Maximini suffragium implorarent. Quibus, ut par erat, id submisit agentibus, Albo virum instar solis splendens et supra mare non infusus pedibus ambulans subito aspexit: qui fiduciam confitenti resumere jubens, cum formidinem voce pepulit, tum etiam sua præsentia tranquillitatem reduxit. Sic facti reduces, auctori tam manifestæ salutis Deo sanctoque C Maximino laudes cum summa exultatione fuderunt. Maxima sunt et Deo, qui per servos suos operatur, digna miracula, atque celebri præconio ad posteros transmittenda. Verum illud scrupulosius est considerandum, quod præter tantam ubertatem virtutum, perinde quasi speciali gratia, fugandorum dæmonum potestas beato Maximino permessa est. Quod ex consequentibus facile apparebit. Dixerint hinc melius alii, quos vitæ sinceritas cælestium fecit conscios 259 arcanorum. Cæterum meæ tenuitati videtur hunc virum ea causa illud privilegium meruisse quod dum communem ageret vitam, ab his præcipue fuerit vitiis alienus quibus apostatæ spiritus elegerunt inconvertibiliter mancipari, superbia videlicet et invidia, æquumque visum fuisse divino consilio ut qui superbiam humilitate dejecerit, invidiamque charitate contriverit, dominium possideat

aula regis Pipini patris Caroli Magni percrebuit; atque ex ejus sententia Hildulphus archiepiscopatu dignus declaratur, et ad id dignitatis assumendus diffinitur. »

(b) *Transferenda*. Hujus translationis meminit etiam auctor Vitæ sancti Hildulphi his verbis: « Hic inter cætera magnifica opera sua quæ gessit, corpus sancti Maximini præsulis Trevirensis a loco quo eum sanctus Paulinus Aquitanus sepelierat in eo quo nunc veneratur transtulit. »

(c) *Carolo principi*. Cui Martello cognomen fuit, Pippini regis, cujus paulo ante meminimus, patri.

illorum qui suo depravati arbitrio, ad memoratas A tunc majorem solito depromit potentiam) triginta virtutes nunquam aspirare consentiant.

CAPUT XIV.

Itaque rex Pipinus Magni Caroli genitor quemdam suum clericum, qui Bruncho vocabatur, impuris obsessum spiritibus, per Hellarium archidiaconum ad tumulum beati Maximini destinavit. Is per diversas reliquorum sanctorum fuerat circumductus memorias, nec illa horribili passione meruerat liberari. Porro ut beati viri limina tetigit, illico purgatus, Dei circa se clementiam glorificare et sancti Maximini potentiam cepit prædicare. Idem Pippinus denuo Hericum genere Alamannum eadem passione laborantem qua supra direxit : quem cum catena vinxissent, eamque perfacile alienis viribus confregisset, vix altera cohibitum clarissimo confessori obtulerunt curandum. Ita diu fratribus pro miserieptione certantibus, quadam die, cum rem divinam agerent, ille confracta catena prorupit se ad tumulum sacri antistitis; et : « Non videtis (inquiens) adversarios qui me sibi vindicaverant ut in fugam versos beatus Maximinus persequitur. » Illic ei finis processit 290 insanie. Ejusdem Pippini regis ex filia nepos, nomine Cunibertus, atrociter a dæmone vexatus, multis ante locis circumcisis, ultimo ad sanctum virum perductus, tandem ab ea peste purgatus est.

CAPUT XV.

Et ut a singulis ad turbam liberatorum transeamus, quondam ad festivitatem beati pontificis (siquidem C

tunc majorem solito depromit potentiam) triginta septem homines oppressi a dæmonibus confluxere, qui omnes eodem die curati sunt. Ex eorum numero feminam illam fuisse accepimus quæ ferebatur quadraginta septem annis polluto subjecta spiritui. Hac tandem tam diutina exclusus possessione, ipse vero cruciandus igni, simulatum oculis astantium objecit incendium, ita ut putaretur tota domus conflagrare; ac digno se odore, hoc est sulphureo, templum respersit. Jam speciosa suæ præsentis meritique monumenta præclarus ille angelus dereliquit. Sequenti anno, eadem solemnitate, viginti et duo mundati sunt. Porro tertio anno tredecim a sancti viri cœnobio salutis gaudia retulerunt.

His, ut arbitror, legere volentes satis superque instruximus quam efficax in sacratissimo viro pelendi spiritus perditos sit gratia et emineat semper potentia. Cæterum si velimus et ac et multiplici aliarum virtutum specie quoties floruerit usque ad hunc annum, quo scribimus, hoc est, ab incarnatione Domini octingentesimum tricesimum nonum, styli officio designare, nec modum libri tenebimus, 291 et erudito lectori minus erimus grati, dum similia frequenter narrabimus. In fine igitur nostri opusculi in communi beati Maximini clementiam flagitemus, ut qui subinde ab aliis infirmitates depulit corporum, multo magis liberare nos dignetur a languoribus animarum, ostendens etiam in hac parte quantum prævaleat; quo nunc peccatorum veniam consecuti, quandoque illius gloriam conspiciere, gaudentes etiam propria sorte, mereamur. Amen.

292 a VITA SANCTI WIGBERTI

ABBATIS FRITZLARIENSIS

AUCTORE SANCTO LUPO

Reverendissimis (b) abbati Buno, cunctisque fratribus ejus, Lupus plurimam sospitatem.

Cunctanti mihi, viribusque propriis diffidenti, ut vitam sancti Wigberhti stylo conerprosequi, vestra, dilecti patres, extorsit instantia. Et æquum fuerat ut in obstinatissima negatione persisterem, quando ad id quod me imparem tantæ materiæ tenuitas deficit ingenii accessit ut hoc opus a vobis eo potis-

(a) Hanc sancti Wigberti Vitam debemus erudito viro Joanni Busæo, presbytero e societate Jesu, qui illam anno 1602 Moguntia edidit cum epistolis Hincmari.

(b) Abbati Buno. Sive Bruno, qui per eas tempestates monasterium Herveldense regebat, obiitque anno 846, ut scribit Lambertus Schafnaburgensis, qui prius fuerat monachus Herveldensis. « Brun, inquit, abbas Herveldensis obiit, cui Brunwart successit. » Antea autem, una cum Rabano abbate Fuldensi inchoaverat ædem sancti Wigberti apud Herveldiam, ut idem Lambertus tradit ad annum 831. « Brun et Raban abbates fundamentum ecclesie

simum tempore quo essem occupatissimus peteretur, ni me charitas, remotis gravissimis necessitatibus meis, ut vestræ voluntati morem gererem compulisset. Siquidem huic qui parcat, suis neglectis, interdum fraternis prospicit commodis. Igitur succubui vestro imperio. Cæterum divinæ erit clementiæ et intercessionis beati viri, cujus gesta ex aliquo parte contingere statui, ut digna memoria digno sermone

sancti Wigberti foderunt vi Idus Julii, secunda feria. » Infectam eam reliquit Bunus : quam postea perfectam Rabanus, ex abbate archiepiscopus Moguntinus, dedicavit anno 850, ut fidem facit idem auctor : « Dedicata est, inquit, ecclesia sancti Wigberti vi Kal. Novembr. a Rabano Moguntiacensi archiepiscopo. » Bunus autem, ut id quoque dicamus, clarissimis natalibus ortus erat in Suevia, monachusque primum sub Bangolfo abbate fuerat in monasterio Fuldensi, et anno 838 interfuit dedicationi monasterii Hirsaugiensis, ut docet Trithemius. Non injuria ergo Vitam istam Buno abbati et monachis Herveldensibus inscripsit Lupus.